C pro laborantis nimirum temperamento, & affectus diuerſitate, quod ex uſu eſt inueniendo. Digerit item quæ liuida ſunt, & quæcunq; modo dictum eſt præſtare decoctum, eadem omnia efficit & farina. Sunt uero etiam qui Iſchiadicis cataplaſmatis modo illinunt.

EX PLINIO.

Ex omnibus quæ eduntur ſicco nulli minus ponderis eſt, nec plus utilitatis. Miteſcunt cinere aut aqua calidis. Colorem hominis frequentiores in cibo exhilarant. Amari cõtra aſpidas ualent. Vlcera atra, aridi decorticatiq; triti, ſuppoſito linteolo, ad uiuum corpus redigunt. Strumas, parotidas in aceto cocti diſcutiunt. Succus decoctorum cum ruta & pipere, uel in febri datur ad uentris animalia pellenda, minoribus triginta annorum. Pueris uero impoſiti in uentrem ieiunis proſunt. Et alio genere toſti, & in defruto poti, uel ex melle ſumpti. Iidem auiditatem cibi faciunt, faſtidium detrahunt. Farina eorum aceto ſubacta, papulas pruritusq; in balneis illita cohibet, & per ſe ſiccat ulcera. Liuores emendat. Inflammationes cum polenta ſedat. Si ad mellis craſſitudinem decoquantur, uitiligines nigras & lepras emendant. Rumpunt carbunculos impoſiti, panos & ſtrumas minuunt, aut maturant. Cocti ex aceto cicatricibus candidum colorem reddunt. Si uero cœleſti aqua decoquantur, ſuccus ille ſmegma fit, quo ſolent fouere gangrænas, eruptiones pituitę, ulcera manantia, utiliſſimum. Expedit ad lienem bibere, & cum melle menſtruis hærentibus. Lieni crudi cum fico ſicca triti ex aceto imponuntur. Radix quoq; in aqua decocta, urinas pellit. Medentur pecori cum Chamæleonte herba decocti, aqua in potum collata. Sanant & ſcabiem quadrupedum omnium in amurca decocti, utroq; liquore poſtea mixto. Fumus crematorum culices necat.

D

DE IO. CAP. CXVI.

NOMINA.

Ion quare dicta.

ION πορφυρουν Græcis, Viola muraria uel purpurea Latinis, blaw Veiel oder Wertzen violen Germanis dicitur. Officinæ ſimpliciter Violam nominant. Nicander Ion Græcis dictam credit, quod Nymphæ quædam Ioniæ, florẽ illum Ioui primum dedere muneri. Alij Græci Ion uocatum putant, quod cum Io in uaccam à Ioue conuerſa eſſet, terra florem illum pabulo bouis eius fuderit.

Viola unde uocata.

Latini quoq; detrita t litera, Violam quaſi uitulam imitatione græca uideri poſſunt appellaſſe.

FORMA.

Folium habet minus tenuiusq; quàm Hedera, nigrius tamen nec diſſimile. Caulículus ſtatim à radice medius proſilit, in quo floſculus ſuauiter olens, purpureus. Humilis præterea eſt, ſtatimq; à numeroſa radice orbiculata folia ſine ramis exeũt. Semen quoq; minutum in folliculis uaſculisue rotundis, ut pictura indicat, extrema ferè æſtate producit.

LOCVS.

Naſcitur in opacis & aſperis locis, ad radices maxime murorum, hortorum marginibus, & ſepibus.

TEMPVS.

Viret hæc perpetuò, Theophraſto teſte, ſi cultus adhibeat̃: tamen uere, & Martio menſe floret, quo potiſſimum tempore colligi flores eiuſdem debent. Semina uero in æſtate, ut dictum eſt.

TEMPERAMENTVM.

Violæ folia aqueam & ſubfrigidam ſubſtantiam ſuperantem poſſident. Frigidę autem ſunt primo ordine, humidæ uero ſecundo.

VIRES.



VIOLA
PVRPVREA